



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod resurget quicquid fuit de substantia & natura corporis, & si non in
eadem parte corporis. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

tui fuerint. Virum a. posuit, non vt distingueret sexum, sed vt significaret perfectionem virorum, quam tunc habebunt: sed non omnes eandem staturam corporis obtinebunt. Vnde Aug Non ait in mēsuram corporis vel staturæ, sed ætatis: quia vnusquē suam recipiet mēsuram corporis, quam vel habuit in iuuentute, etiā si senex obiit, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus. Ætas vero erit illa, ad quam peruenit Christus, scil. iuuenilis, vt circa 30 annos. Triginta n. duum annorū & trium mensium erat ætas Christi, in qua mortuus est, & resurrexit. Non est autem fas dicere, quod in resurrectione accedat corpori magnitudo, quam nec habuit hic, nec erat habiturum diu viuendo: nec maiora corpora redigenda sunt ad modum dominici corporis. Periret n. multum de illis corporibus, cum nec periturus sit capillus, vt ait Dominus. Capillus de capite vestro non peribit.

In lib. de Ciuitate Dei, lib. 2. c. 13.

Lucā 21.

Quod resurget quicquid fuit de substantia & natura corporis, & in eadem parte corporis.

Non enim perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro: sed in quemlibet puluerem cineremve soluitur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, & in quancunq; aliorum corporum substantiā, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunq; etiā animalium vel hominum cibum carnemque mutetur, illi animæ in puncto temporis redit, quæ illam carnem primitus vt homo fieret, cresceret, viueret, animauit. Ipsa ergo terrena materies, quæ discedente anima fit cadauer, non ita in resurrectione reparabitur, vt ea, quæ dilabuntur, & in alias atque alias rerum species vertuntur: quamuis ad corpus redeat vnde dilapsa sunt: ad easdem quoque corporis partes vbi fuerunt, redire necesse sit. Alioquin si capillus redit, quem tam crebra tonsura detrahit: si vnguibus, quos torrens depressit exactio immoderata & inde-

Aug. in Enchir. c. 88.

Ibid. cont. nud, c. 89.

cens, cogitantibus resurrectionem carnis, & ideo non credētib⁹ occurrit infirmitas. Sed quēadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli igne liquefceret, vel contereretur in puluerē, vel cōfunderetur in massā: & eam vellet artifex rursus ex illius materia & quantitate reparare, nihil inter-esset ad eius integritatē, quę particula materię cui mēbro statuz redderetur, dum tñ totum ex quo cōstituta fuerat, restituta resumeret. Ita Deus mirabiliter atq; ineffabiliter artifex, de toto, quo caro nostra extiterat, eam mirabili celeritate restituet: nec aliquid attinebit ad ei⁹ redintegrationē, vtrum capilli ad capillos redeāt, & vngues ad vngues: an quicquid eorū perierat, mutetur in carnē, & in partes alias corporis reuocetur: curāte artificis prouidentia, ne quid indecens fiat. Indecorum quippe aliquid ibi nō erit: sed quicquid ibi futurū est, hoc decebit: quia nec futurū est, si non decebit.

Quod sancti sine omni deformitate resurgent.

*Aug. in eodem Enchi-
cap. 91.*

Hoc autem in corporibus sanctorum intelligendum est, de quibus consequenter adiungit. Resurgent ergo sanctorum corpora sine vilo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate: in quib. tanta facilitas quanta felicitas erit: propter quod & spiritalia dicta sunt cum proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Ex his apparet, quod vna erit ætas omnium resurgentium, scil. iuuenilis: statura vero diuersa scil. quam quisque habuerat in iuuenili ætate, vbi erat habiturus, si ante est defunctus. Nec de substantia, de qua hominis caro creatur, aliquid peribit: sed omnium particularum ante dispersarum collectione, reintegrabitur naturalis substantia corporis. Sanctorum quoque corpora sine omni vitio fulgida, sicut sol, resurgent, præcis cunctis deformitatibus, quas hic habuerunt.

Matth. 13. f

Si mali tunc habeant, quas hic habuerunt deformitates.